This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt
1
903

Lt 1.903



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)

24 June, 1884.

PROGRAMM

des

k. k. Ober-Gymnasiums in Czernowitz

in dem Herzogtume Bukowina

für das Schuljahr 1881.

Veröffentlicht

von

ST. WOLF,

k. k. Schulrat, Gymnasial-Director und Mitglied des buk. k. k. Landesschulrates

Inhalt:

1. Lat. Festgedicht. Vom Director.
2. Utrum dialogus, qui inscribitur de oratoribus, Tacito adscribi possit necne, quæritur. Von Wl. Resl,
3. Schulnachrichten. Vom Director.

CZERNOWITZ.
Druck von Rudolf Eckhardt, 1881.

Lt 1.903

JUN 24 1884

Seeds.

IN

Augustissimi Imperatoris

Francisci Josephi I.

in Bucovinam adventum mense Septembri a. MDCCCLXXX.

Omnibus hi sensus, omnibus hic animus.
Tib.

Salve festa dies, quam florea serta per urbem,
Quam populi voces significant hilares.
Illustris salve Princeps, Dux optime salve,
Cujus in accessu lætitia capimur.
Pacis enim coleris nobis fidissimus auctor,
Diversos socians Austriacos populos.
Impigre sancteque geris tot munia regni,
Nec cessas publicis invigilare bonis.
Artes ingenuas alis atque foves placide, queis
Pectora mollescunt asperitasque fugit.
Cuivis Austriadum genti Tu libera jura
Clemens concedis, nec ditione premis.

Anm. Das vorstehende Festgedicht, sowie die Schrift: Hypatia, die Philosophin von Alexandrien (Wien, bei Alfr. Hölder, 1879), dann Virgil's Ecloge III. Griechisch in Theokrit's Versmasse und dorischem Dialekte von St. Wolf (Wien, bei Alfr. Hölder, 1880.) haben Se. k. u. k. Majestät mit a. h. Entschl. v. 13. Nov. 1880 allergnädigst anzunehmen geruht.

Viribus egregiis et firmo pectore præstans
Austriacas fauste res renovare vales.
Sis felix et sint Tua semper candida fata:
Austria principe Te sospite sospes erit.

Steph. Wolf.

Utrum dialogus, qui inscribitur de oratoribus,

Tacito adscribi possit necne, quaeritur.

Cum de libello, qui inscribitur dialogus de oratoribus, doctorum virorum sententiæ multum discrepent, operæ pretium esse videtur quaestione denuo instituta rem, quæ adhuc sub iudice est, pertractare. Sed quot quantisque incommodis obnoxium sit „tam magnae quaestionis pondus excipere", cui tam multi tamque docti viri frustra operam navabant, neminem certe effugere potest, qui unquam puamlibet disputationem conscribere sit conatus. Quæ cum ita sint, et quamquam facere non possum, quin concedam vix quidquam novi in ea re adferri posse, tamen me profecturum esse spero, si gravissimum argumentum, quo Taciti adversarii utuntur, malum verborum usum, quem in dialogo haud raro invenimus, Tacito indignum esse, prostravisse mihi contingat.

Quam quaestionem priusquam ordiamur, non incommodum videtur disserere, quo tempore habitus et quo scriptus sit dialogus.

§. 1.

De tempore, quo habitus et quo scriptus sit dialogus.

Utrum dialogus de oratoribus re vera habitus sit, an habitus esse fingatur, parvi est momenti. Nam etiamsi illum sermonem totum ex ingenio scriptoris profectum esse putamus, sane negabimus scriptorem illius eum tempore, quo nullo pacto haberi potuisset, habitum finxisse. Immo vero existimandum est scriptorem, cum rem veri simillimam facere conatus sit, sermonem eo tempore habitum finxisse, quo quivis eum re vera haberi potuisse putaret. Sed cum et tempus et, quas imitatu difficillimas esse constat, vitae condiciones optime cum illius temporis moribus atque institutis conveniant, nihil obstat, quominus eum re vera habitum esse putemus. Sunt autem, qui putent „iuvenem admodum" domum tam clari viri, ut Maternus erat, intrare non potuisse; quod quidem nihil valet, nam cum scriptor in cap 2. [1]) dicat sese M. Aprum et J. Secun-

[1]) Capita dialogi ex editione, quam A Michaelis Lips. a. 1868. curavit, numero.

dum non modo in iudiciis studiose audivisse, sed „domi quoque et in publico“ assectatum esse, „ut fabulas eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperet“; quid mirum, si illos viros ad Maternum venientes assecutus sit. Neque Ruperti [1]) sententia neminem „tot sermonum paulo post nedum virili ætate memorem esse posse“ quidquam valet, nam „iuvenes non solum audire sed etiam referre domum aliquid inlustre et dignum memoria velle“ constat. [2]) Alii autem existimant dialogum nimis politum adparere, quam ut putaveris eum fortuitum virorum sermonem esse; attamen hanc politam dialogi formam scriptori potius, quam fortuito sermocinantibus tribuendam esse haud dissimile veri. Quod autem Messala hunc sermonem innotescere velut præsagiat [3]) — qua de causa A. Wittichius [4]) sermonem totum ex ingenio scriptoris profectum esse coniecit — mirum non est. Nonne tam clarus vir, in quem tamquam omnium oculi erant conversi, putare potuit omnia dicta factaque sua in publicum esse proditura? Id quidem facile concedent omnes potuisse eius generis dialogum a disertis illis hominibus haberi, materia enim sine dubio in promptu erat ac satis trita. Quodsi re vera interfuit unquam eiusmodi sermoni scriptor dialogi, quidni memoriæ eum haud ita veteris recordationem repetivisse negemus? Quapropter neque Rupertio neque Wittichio, qui hunc sermonem fictum esse contendunt, assentio.

Sed multo maioris est momenti investigare, quo tempore dialogus habitus sit, quo in publicum prodierit. Quo quidem tempore habitus sit, facile ex cap. 17. et 24. intellegi potest. Quibus locis scriptor colloquium institutum esse dicit a. centesimo vicesimo ab interitu Ciceronis [5]) et sexto principatus Vespasiano traditi, qui est annus 75. p. Chr. n. Multo magis autem de anno, quo conscriptus esse videatur, ambigitur, quamquam coniectando satis prope ad verum accedi potest. Nam imperitante Vespasiano hunc sermonem conscriptum esse non posse his causis nobis persuadetur.

1. Primum quidem constat Justum Fabium, ad quem libellus missus est, ex scriptore, cum „admodum invenis“ fuisset, talem quaestionem disputatione doctissimorum virorum dignam „sæpe“ percontatum esse non

---

[1]) In edit. opp. Tac. Hannov. a. 1834. vol. I. p. 62

[2]) Ut ipse in dialog. c. 20. dicit. Cf. etiam Quintil. inst. orat. l. I. prooem. §. 7.

[3]) Ut in dial. c. 14. et c. 32. dicit.

[4]) In dissertatione, quam inseri iussit in annall. Jahni vol. (suppl.) V. fasc. 2. p. 259—292

[5]) Cum Cicero a. 43 a. Chr. n. interfectus esset, proprie centum et duodeviginti anni usque ad „sextam iam felicii huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet“, sunt.

posse; sed a provectiore tantum ætate petivisse, ut „tam magnæ quæstionis pondus exciperet". Itaque illum sermonem haud pancis annis, postquam auditus est, interiectis conscriptum esse par est; Vespasianus autem a sexto suo consulatu, quo auditum esse sermonem supra demonstravimus, non nisi quatuor annos in vivis permansit, regnavit enim ab anno 69. usque ad 79. p. Chr. n.

2. Tum imperitante Vespasiano scriptor dialogi in Eprium Marcellum et Vibium Crispum tam acriter invehi [1]) non ausus esset, si illi viri etiam tunc principi grati eiusque benevolentiæ participes fuissent, quod autem sine periculo imperante Tito facere potuit, cum iam sub finem principatus Vespasiani Marcellus crimine coniurationis accusatus et a senatu omnium suffragio damnatus ipse se iugulavisset. [2])

3. Postremo si M. Aper et Julius Secundus hoc tempore, quo dialogus scriptus est, „celeberrima ingenia fori" fuissent, coniunctio „tum" in cap. 2. vacaret. At non est, quod Secundum, quem a 95. mortuum esse scimus [3]) tempore dialogi scripti in vivis fuisse negemus.

Quibus causis commoti dialogum Vespasiano iam mortuo conscriptum esse pro certo adfirmamus.

Neque vero Domitiano aut imperante aut iam interfecto dialogus conscriptus esse potest. Nam Domitiano imperitante scriptor dialogum edere non ausus est, cum, ut Tacitus ipse in Agricol. c. 2 narrat, „adempto per inquisitiones loquendi audiendique commercio" illis tristibus temporibus non solum clarissimum quemque virum laudasse capitale fuerit, sed „delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum urerentur, in libros eorum saevitum sit". Sed etiam interfecto iam Domitiano dialogum evulgatum esse vix putari potest, nam si scriptor dialogi Materno iam sub finem principatus Domitiani ab eo declamationis in tyrannos habitæ causa [4]) interfecto eum evulgavisset, verba Materni in fine cap. 13. aut delevisset aut commutasset. Verba enim „quandoque fatalis et meus dies veniet" significant Maternum putare se morbo consumptum neque a sævo principe necatum iri. „Dies enim fatalis et meus", ut verbis Ritteri adnot. ad h. l. [5]) additis utar, „ei opponitur, quem principis sævitia festinat, quemque nonnuli testamento pro pignore scripto remorari student. Nam qui mori iubetur, ‚ante diem suum et fatalem' e vita cedit".

---

[1]) In dial. c. 13.
[2]) Vid. Dion Cass l. 66. cap 16.
[3]) Vid. Quintil. instit. orat. l. X. c. 1. §. 120.
[4]) Vid. Dion. Cass. l. 67 c. 12.
[5]) Fr. Ritter, Opp. Taciti ad optimorum libr. manuscr. fid. edid. Cantabrig. 1848 et. seqq.

Quibus causis recte perpensis dialogum Vespasiano principatum obtinente a. 75. p. Chr. n. habitum, Tito imperante a. 81. evulgatum esse intellegimus.

§. 2.

De argumentis, quibus viri docti Quintiliani partes defendebant.

Postquam igitur firmum velutsi fundamentum quaestionis mihi propositæ extruxi, ad tractanda argumenta transeo, quibus alii viri docti aliis scriptoribus dialogum tribuendum esse contenderunt. Cum autem sententias nonnulorum Gallorum et Italorum, qui dialogum aut Curiatio Materno, aut Suetonio, aut M. Valerio Messalæ Corvino adiudicandum esse perperam censuerunt, repudiari vix opus esse existimem, restat tantum, ut argumenta explicem, quibus Quintiliani, quibus Plini minoris, quibus Taciti partes defendébant viri docti. Argumenta, quibus viri docti Quintiliani partes defendebant sunt hæc:

1. M. Fabius Quintilianus duobus tribusve locis libri, qui institutio oratoria inscribitur, libellum commemorat, quem de causis corruptæ eloquentiæ a se scriptum esse dicit. Ut in instit. orator. l. VI. prooem. §. 3.: „Nam ita forte accidit, ut eum quoque librum, quem de causis corruptæ eloquentiæ emisi iam scribere adgressus ictu simili ferirer“. Et in instit orator. l. VIII. c. 6. „Sed de hoc (sc. recto hyperboles usu) satis, quia eundem locum plenius in eo libro, quo causas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractavimus“, Etiam aliis locis sine dubio ad hunc librum respicit, ut in instit. orator l. VIII. c. 3 §. 58: „Totidem generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sed de hac parte et in alio a nobis opere plenius dictum est et de hoc tractabitur“. Quibus locis cum librum commemoret, quem de causis corruptæ eloquentiæ scripsit, et cum his verbis etiam summa dialogi satis bene significetur, Quintilianum nullum nisi hunc librum, quem Lipsius primus „de causis corruptæ eloquentiæ“ inscripserat, hoc nomine significare potuisse dicunt defensores Quintiliani.

2. In libro instit. orator. V. c. 12. §. 23. de mala tractandarum causarum ratione in scholis rhetorum in libro „de causis corruptæ eloquentiæ“ scripto se dixisse adfirmat Quintilianus. Et re vera in cap. 35. de ineptiis et nugis scholarum rhetoricarum disputatur. Nonne luce clarius sit hunc a Quintiliano commemoratum librum et dialogum unum eundemque librum esse, interrogant Quintiliani defensores. Quod autem de hyperboles usu in dialogo nihil dictum inveniatur, hoc modo explicant, ut

lacunis has partes inesse suspicentur, quippe cum „sex pagellæ“ in codice Vaticano num. 1518 significato desint.

3. Sane concedendum esse videtur, mirum quantum iudicia et sententiæ in dialogo et scriptis Quintiliani consentire. Quæ res ut verisimillima fieret, multa adtulerunt exempla defensores Quintiliani; quæ cum Spaldingius [1]) copiosissime collegisset, prorsus omittere haud dubitavi.

4. Quod ad scribendi modum adtinet, haud contenmnenda sunt, quae Lipsius in editione a. 1574. curata dicit: [2]) „Et phrases hic pleræque, quas Quintilianus usurpat, et profluens illa et facilis et, ut ita dicam, procurrens eloquentia Fabium videtur prodere“. Neque aliter ac Lipsius ipse Spaldingius, qui dialogum Quintiliano abiudicandum esse censet, iudicat dicens se „ab orationis similitudine valde commotum esse, cum perpetua institutionum lectione tritas habens aures relegisset dialogum“.

5. Cum Plinium minorem Quintiliani discipulum [3]) et amicum Fabi Justi, [4]) ad quem dialogus missus est, fuisse constet, etiam Fabium Justum discipulum Quintiliani fuisse verisimile est. Nonne Fabius Justus Quintilanum, cum eius discipulus esset, „de causis corruptæ eloquentiæ percontari potuit? Nimirum Quintilianus hac percontatione discipuli adductus libellum hunc ad eum misit.

§. 3.

Quomodo haec argumenta refutanda sint.

His argumentis permoti haud pauci viri docti [5]) Quintilianum dialogi scriptorem esse coniecerunt. Sed tantum abest, ut his argumentis Quintilianum scriptorem esse dialogi luce clarius fiāt, ut omnia futilia ac refellenda sunt.

Perlustremus igitur deinceps haec argumenta, quæ supra contuli.

1. Quod Quintilianus nonnulis institutionis oratoriæ locis, quos supra commemoravi, librum de causis corruptæ eloquentiæ a se scriptum esse dicit, iisdemque verbis dialogus inscribitur, nihil valet. Nam quamquam hæc inscriptio in dialogum non male quadrat, tamen neque in libris manu

---

[1]) In edit. Quintil. inst orat. Lips 1798—1816 vol. II. p. 424 seqq.

[2]) Ex illa edit Antverp. cur. eius. verba repetita sunt in edit. Orell. Turici a. 1830. præf p. 71.

[3]) Cf. Plin. ep. 14. [4]) Vid. Plin. epist. l. I. ep. 11.

[4]) Ut Grævius in adnot ad. Cic. de off l. II c. 13, Berneggerus et Freinsheimius, Opp. Taciti ad optim libr. fid. edid Angentor. a. 1638., Boxhorn, Opp. Tac. omnia edid. Amstelod. 1643 et inseqq; Pichon, Opp. Tac ed. Paris. a. 1682 a. 1687.; G. Heumann, dial. de ora t. recognitus emendatus et illustratus Gotting. a. 1719.; J. Tichon, Opp Tacit. Lips. 1720. in vol. IV. p. 323—329 et p. 410—421.

scriptis neque in vetustissima editione reperitur. Immo vero in Vaticano altero num. 1862 significato, Leidensi, Farnesiano, Vaticano altero num. 1518 significato, Ottoboniano inscribitur : „Corneli Taciti dialogus de oratoribus". Quæ quidem a codicibus usurpata inscriptio multo aptior est totiusque dialogi summam melius continet, quam hæc a Lipsio primo usurpata, quæ, cum in capp. 28. usque ad 41. tantum de causis corruptæ eloquentiæ disputetur, in partem tantum dialogi quadrat. Verisimillimum autem est, quod Wittichius [1]) suspicatur, cum totius libelli summa paucis verbis significari non possit, dialogum Fabio Justo sine inscriptione esse missum, et recentioris ætatis scribas hunc libellum „de oratoribus" inscripsisse similibus librorum inscriptionibus, ut Ciceronis Suetoni librorum, quibuscum dialogus sæpissime iunctus est, adductos.

2. Etiam alterum argumentum, quod Quintilianum dialogi scriptorem esse demonstrare videtur, si accuratius investigamus, sane nullum est. Nam quamquam et Quintilianus et scriptor dialogi similiter de malis scholarum rhetoricarum institutionibus iudicant, tamen in hac ipsa re longe aliam habent sententiam. Cum enim Messala scenas rhetorum, ut malas, „in quibus non facile dixerit, utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingenio adferant", prorsus detrectet, [2]) Quintilianus opprobria, quæ in scholas illas et publicos præceptores iactabantur, refutare est conatus. [3]) Etiam in oratione Materni, cuius disputatione ipsius scriptoris sententiam explanari multis ex causis existimare cogimur, hæc sententiarum dissimilitudo adparet, cum enim Maternus eloquentiam „malam artem" esse dicat [4]), Quintilianus eam „virtutem" adpellat. [5]), Quarum sententiarum dissimilitudo iam satis demonstrat Quintilianum dialogi scriptorem esse non posse. Sed non desunt loci, quibus comparatis luce clarius esse persuasum habemus Quintilianum non tantum dialogi scriptorem esse non posse, sed re vera non esse. Nam cum Quintilianus, ut eloquentiam „malam artem" non esse demonstret, [6]) duo argumenta refutet, quibus usus Maternus eloquentiam „malam artem" esse contendit, potestne quisquam dubitare, quin Quintilianus dialogum conscribere non potuerit? An unum eundemque scriptorem eadem argumenta, quibus ad demonstrandam aliquam sententiam in priore aliquo libro usus est, ad affirmandam contrariam sententiam in posteriore refutasse credibile est? At etiam eundem

---

[1]) Jn. l. c. p. 279.
[2]) Vid. dial. cap. 35.
[3]) In institut. orat. l. I c. 2. §§. 1—16.
[4]) In dial. cap. 40 et 41.
[5]) In institut. orat. l II. c. 20.
[6]) In inst. orat. l II c. 16 §. 1 et. 2.

scriptorem sententiam suam in dies commutavisse haud incredibile esse dicunt defensores Quintiliani. Quod quamquan fieri potest, Quintiliano contingere nequivit, quippe qui, si in scholas rhetorum ita ut scriptor dialogi invectus esset, patrem, quem rhetorem fuisse scimus [1]), violasset. Sed multo maioris momenti est, quod in illo libro, quem de causis corruptæ eloquentiæ scripsisse se dicit, de multis rebus disputasse narrat Quintilianus, quæ neque usquam inveniri neque in lacunis excidisse possunt. Nam neque de hyperboles usu [2]) neque de mala oratorum consuetudine, [3]) ut necessaria plerumque silentio transeant, in dialogo quidquam invenies. Neque vero in lacunis c. 35. et 40. de his rebus disputare potuisse scriptorem dialogi statuendum est. Nam in prima lacuna nihil desideratur nisi finis eius, quod in persequendis oratorum exercitationibus sese dicturum esse promiserat Messala, et initium orationis Secundi. [4])

3. Etiam tertium argumentum eorum, qui partes Quintiliani defendunt, refutandum est. Quod multo plurimi loci, qui Quintiliani libro simillimi sunt, præcipue in Apri oratione inveniuntur, non mirandum est. Nam Apri persona scriptor dialogi eos castigare voluit, qui in scholis rhetorum educati inanem eloquentiam didicerant, quæ verborum delectu ac splendore ornata sophitarum more, ex bonis pravas, ex pravis bonas res facere posset. Propterea eius orationes tanta verborum idem significantium aliorumque vitiorum sunt obrutæ Sed non desunt loci, ut iam supra demonstravi, qui dissimillimi sunt. Quibus locis comparatis [5]) dissimilium locorum multitudinem copia sententiarum similium non modo non superari sed cum ea vix comparari posse nemo non intelleget. Itaque hæc supra commemorata similitudo, quamquam minima est, cum similitudine tractatæ materiæ, tum eo explicari potest, quod Quintiliano ille de oratoribus dialogus haud ignotus erat, cum institutio oratoria a. 93. p. Chr. n. conscripta esse videatur. [6])

4. Quod autem scribendi modus in dialogo et Quintiliani scriptis tam similis sit, hoc modo facile explicari potest. Sriptorem enim dialogi

---

[1]) Ex instit. orat. l. IX. c. 3 § 73. Cf. etiam Senec. controv. X. præf. p. 347. (aut. p. 291 Burs.), quo loco de „Quintiliano sene" loquitur.

[2]) In inst. orat. l. VIII. c. 6.

[3]) In inst. orat. l. V. c. 12 §. 23.

[4]) De hoc, quod in illis lacunis excidisse verisimillimum est, optime disputavit Ul. Becker in Seebodi libro, qui inscribitur „Archiv f. Philol. u. Pädagog.", vol. II. fasc. 1. p. 71. et inseqq.; quæ disputatio repetita est in Orelliana edit. a. 1830. p. 95.

[5]) Quos cum Spaldigius l. c. omnes diligentissime collegisset, enumerare vix operæ pretium est. Sed exempli gratia hos commemoro: In dial. c. 12. et Quint inst. orat. l. III. c. 2 (de origine eloquentiæ), dial. c. 5, Inst. or. l. X 1. 90 (de Saleio Basso); et c. 25, inst. or. X. 1.115 (de Cælio).

[6]) Vid. Dodvell, in libro, qui inscribitur annal. Quint. Oxon. a. 1698 edit. §. 14.

imprimis Ciceronem in scribendi genere imitatum esse duabus ex causis nobis persuasum est. Primum constat scriptorem dialogi scripta Ciceronis præcipue illa, quæ ad rhetoricam pertinent artem, diligentissime pervolutasse [1]). Deinde cum ex Apri, qui antiquos contemnit oratores, tum ex Materni et Messalæ orationibus adparet [2]) scriptorem dialogi Ciceronem et optimum oratorem et artis rhetoricæ ac linguæ latinæ certissimum auctorem habuisse. Postremo exemplis demonstrare vix necessarium est, quot loci in dialogo cum aliis præcipue rhetoricorum librorum locis congruant, quos locos A. Dupreus [3]) et Weinkauffius [4]) collegerant. Itaque dialogi scriptorem Ciceronis scribendi modum secutum esse constat. Neque minus quam dialogi scriptor Quintilianus imitatus est Ciceronem. Longum neque intra artos huius opusculi cancellos situm est hanc sententiam exemplis demonstrare. Nam nemo est, qui huic opinioni repugnet. [5]) Quæ cum ita sint, estne mirandum, si et dialogi scriptor et Quintilianus, uterque Ciceronis imitator, nonnullas similes voces in scriptis suis usurpaverint?

5. Itaque cum iam satis constet Quintilianum dialogum non conscripsisse, illud ultimum argumentum, quod supra demonstravi, refutare vix operæ pretium erit. Nam quale argumentum! Potestne quidquam illud argumentum valere, quod non veritate sed vanis opinationibus nitatur? An putaremus ex eo, quod Fabius Justus amicus Plini fuisset, colligi posse Quintilianum conscripsisse dialogum eique misisse?

§. 4.

Alia argumenta adduntur, quae Quintilianum dialogi scriptorem non esse demonstrent.

Hoc modo refutavimus omnia argumenta, quibus propugnatores Quintiliani suam quisque sententiam defendere sunt conati. Sed non desunt causæ, quæ quasi clara voce clamant Quintilianum dialogum non conscripsisse.

---

[1]) Id imprimis intellegitur ex dial c. 16, 30, 32. (quo loco spectat in Cic. orat. l. III. c. 12), c. 35 (cf Cic. de orat. l. III. c. 24), c. 37.

[2]) Quod intellegimus ex dial. c. 18, 22, 25, 37. et 38, 40.

[3]) In libris, qui inscr.: Dial. de orat. nec Quintil nec. cuivis alii sed Tac. adiudicandum esse censuit ac demonstrare tentavit, Sti Caleti a. 1848. ed.

[4]) In libro, qui inscr.: De Tac. dial, qui de orat. inscr., auctore, Colon 1856. et 1858. editis

[5]) Vid Baehri iudicium in lib., qui inscr.: „Römische Litteraturgeschichte" Vol. II. p. 552. Quo loco commemorantur: Bonneli prolegomena de grammatica Quintil. p. XXI. et inseq.

1. Primum libri manuscripti ad unum omnes nomen Taciti neque Quintiliani præ se ferunt. Unus tantum codex Vidobonensis Sambuci nomen Quintiliani præe se fert; inscriptus enim est in illo codice dialogus hoc modo: „Dialogus de oratoribus (et altera manu) suis et antiquis comparatis", et altera manu alioque atramento nomen „Quinctil." adscriptum. Sed tantum abest, ut huius codicis auctoritas magna sit, ut, quia plane consentit cum editione Spirensi et vel ex ea vel ex eodem fonte descriptus est, hoc nomen motis iam velutsi fluctibus dubitationum ab alio quopiam scriptore additum sit auctore Lipsio. Hic codex cum annalium libros XI.—XVI. et historiarum libros usque ad verba: „Navium magnitudinem potiorem" in medio cap. XXIII. l. V. contineat, a Vaticano num. 1862 signif. sine dubio originem duxit, quem Taciti nomen ferre scimus.

2. Quintilianus in inst. orat. l. X. c. 3. 12. Julium Secundum „æqualem suum et familiariter a se amatum" dicit; scriptor dialogi autem in dial. c. 2. sese Jul. Secundum „non modo studiose audivisse sed domi quoque et in publico assectatum esse mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili" adfirmat. Sed etiamsi dialogum totum ex ingenio scriptoris profectum esse concederemus — quam rem dissimillimam veri esse supra demonstravi — nonne boni scriptoris est librum, etiamsi fictum saltem veritatis specie circumdare. Itaque si Quintilianus hunc libellum, composuisset, non Julium Secundum sed Domitium Afrum, quem eius præceptorem fuisse notum est, [1]) eiusque æquales disserentes fecisset.

3. Neque vero ætas Quintiliani convenit. Quintilianus enim a. 42. p. Chr. n., ut Dodvellus [2]) optime demonstravit, natus est. Cum igitur dialogus a. 75. habitus sit, Quintilianus tunc annum ætatis iam 33. gerens sese „admodum iuvenem" adpellare nequivit, nisi totius disputationis fidem repudiandam esse voluit. Praeterea Quintilianus ipse tempus, quo ille liber „de causis corruptæ eloquentiæ" a se scriptus est, in inst. orat. l. VI. prooem. §. 3. nobis significat dicens: „Ita forte accidit, ut eum quoque librum, quem de causis corruptæ eloquentiæ emisi, iam adgressus ictu simili ferirer. Paucis mensibus enim post ereptam uxorem (§. 8), quæ nondum expleto ætatis undevicesimo anno duos enixa filios discesserat (§. 4), filius minor quintum aggressus annum prior alterum ex duobus eruit lumen (§. 6). Maiorem vero filium iam decimum ingressum ætatis annum repetito vulnere orbitatis amisi (§. 2)". Itaque maiorem filium decimum annum ingressum compositis quinque prioribus institutionis libris

---

[1]) Ex Quintil. inst. or. X. 1.118 et. XII. 11 3; et ex Plin. min. op. II. 14 10.
[2]) In. l. com. §. 5.

mortuum esse constat. Cum autem institutio oratoria a. 92. p. Chr. n. inchoata [1]) et per dimidium temporis, quod ex epistola ad Tryphonem (§. 1) „pauló plus quam biennium" esse scimus, i. e. uno anno quinque priores libri compositi sint, conicere possumus filium maiorem decimum annum agentem a. 93. p. Chr. n. mortuum et propterea a. 83. natum esse. Filium minorem autem interiecto unius tantum anni spatio i. e. a. 84. p. Chr. natum esse colligere licet, quippe cum matrem, quæ quinque annis post „anno undevicesimo nondum expleto" mortua est, maiore temporis spatio inter natalem maioris et minoris filii interiecto ante duodecimum actatis annum Quintiliano nupsisse consentaneum esset, quod nullo pacto etiamsi illis temporibus fieri potuit. Propterea filius minor a. 84. natus a. 89. mortuus est, quo anno Quintilianus hunc libellum de causis corruptæ eloquentiæ sese conscripsisse dicit. Sed supra demonstravimus dialogum a. 81. conscriptum esse.

Quæ cum ita sint, mirandum non est nostra ætate neminem iam extitisse, qui Quintilianum dialogi scriptorem esse contenderet.

§. 5.

De argumentis, quibus viri docti Plini minoris partes defendebant.

Multo difficilius autem est graviora argumenta, quæ Plini minoris propugnatores investingaverunt, refutare. Sed nihilo minus ad unum omnia futilia et commenticia esse sane quivis intelleget. Juvabit igitur omnia enumerare argumenta, quibus partes Plini defendi posse videntur.

1. Primum quidem ex Plini epist. l. I. 11. constat Fabium Justum amicum Plini fuisse eiusque scripta desiderasse, [2]) et Plinium, quæ ei mitteret, ex eo quæsivisse. Propterea facile accidere potuit, ut Plinius amico hunc libellum miserit.

2. Tum etiam Plini ætatem tempori, quo dialogum scriptum esse scimus, convenire propugnatores huius sententiæ arbitrantur. Plinius enim cum a. 79. p. Chr. n., quo ingente illa et repentina Vesuvi montis eruptione tot homines periisse Cassius Dio in l. LXVI. c. 21. memoriæ prodidit, duodecimum ætatis annum egisset, [3]) a. 75, quo dialogum habitum esse supra demonstravi, quatuordecim annos natus erat. Sane „admodum

---

[1]) Ut Dodvellus in l. c. §. 14. demonstravit.
[2]) Ut ipse in epist. l. VII. 2. dicit.
[3]) Quod ipse in epist. l. VI. 20. narrat.

iuvenis". Sed cum se quatuordecim annos natum Græcam tragoediam scripsisse dicat, cur negabimus eum omnes illorum virorum sermones intellexisse? Præterea Kramarczikius [1]) locum commemorat, quo adolescens quatuordecim annorum „iuvenis admodum" adpellatur. Legitur ille locus in Taciti annal. l. XII. c. 25, ubi Pallas, servus Claudi imperatoris, dominum stimulat, ut Domitium Neronem (puerum tredecim annorum) assumeret; „se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro". Ceterum acerrimus Plini propugnator Wittichius dialogum fictum esse, itaque tempus, quo habitus esse fingatur, nullum testimonium esse adfirmat.

3. Etiam tempus, quo scriptus sit dialogus, in Plinium quadrare aiunt, dumodo eum non anno 81. sed 94. sive 95. p. Chr. n. conscriptum esse nobis persuadeamus. Anno 94. enim, inquit Wittichius in l. com., prætoris munere eum functum iam esse ex epistola l. III. 11. scimus. Anno 95. et 96. autem in otiis et secessibus, quorum tantam multitudinem in epistolis [2]) commemorat, nec sine „libellis et pugillaribus" vixit. Itaque in his otiis cum poeticam attingeret, [3]) tum serioribus studiis vacabat, quippe cum „maligni" secessus eius ut desidiam vituperarent. [4]) Nonne illo ipso tempore dialogum commodissime conscribere potuit? Quidni igitur in epistola ad Tacitum missa, quæ est l. IV. 13. et in l. VIII. 3, commemorato libello Plinium dialogum significavisse existimemus?

4. Neque minus quam ætatem Plini etiam dictionem in epistolis et in dialogi usurpatam congruere dicunt defensores Plini. Quam sententiam ut probarent, cum et Wittichius et Kramarczikius iusto plura adtulerint exempla, hoc argumentum verbo commemoravisse sat est, præsertim quod in refutando hoc argumento plura de his locis dicam.

5. Etiam totum ingenium omnesque cogitationes in dialogo et in epistolis Plini simillima esse opinantur. Quod ut demonstretur, cum et Wittichius et Kramarczikius haud pauca adtulissent exempla, quæ ad unum omnia refutata iam sunt, illa omittere haud dubitavi.

6. Postremo Wittichius, ut simile addat argumentum, quod Langius tam ingeniose investigavit, testimonium commemorat æqualis. Plinius enim in epist. l. I. 5. dicit Domitiano mortuo M. Regulum delatorem veritum, ne Plinius ei irasceretur, non solum amicos rogavisse, ut Plinium

---

[1]) In libro, qui inscribitur: „De C. Cæc. Plinio minore dialogi de orat. auctore", Hagiop. a. 1841. edit. p. 7.

[2]) In epist l. I. 9; l. I. 22.; l. II. 2. 3. 8. 17.; l. IV. 6.

[3]) Cf ep. l. I. 13.; l. IV. 6. 14.; l. V. 3. 8.; l. VII. 4.

[4]) In ep. l. IV. 23. fin. et l. III. 1.

judicare possimus, utrum hæc exempla valeant quidquam, an nihil proficiant. Wittichius enim [1]) singulas voces sententiasque in dialogo et Plini scriptis similes esse demonstrare conatus magnam et operosam exemplorum molem promiscue cumulavit, nullo certo ordine servato. Sed nisi perpaucis locis [2]) ubique singulas tantum voces similes reperias. At quid sibi vult hæc singularum vocum similitudo, quæ neque peculiari earum collocatione, neque verborum contextu nitantur? Num duos scriptores una eademque lingua usos voces prorsus alias usurpare posse putemus? Quanam ratione fieri potuit, ut scriptores prope æquales non interdum iisdem vocabulis eodemque genere dicendi in singulis locis uterentur? Sed hæc sufficiant, nam si longius in perlustrandis ejusmodi exemplis morarer, in oppugnanda aliorum sententia meaque defendenda ludere armis, non pugnare mihi viderer. Præsertim cum Ecksteinius, cuius librum frustra desideravi, omnia illa exempla futilia esse luce clarius demonstraverit. [3])

5. Quamquam Plini propugnatores totum ingenium omnesque cogitationes in dialogo non alias atque in ceteris Plini scriptis esse exemplis quam plurimis demonstrare studuerunt, tamen non animadverterunt, hac re nihil aliud adfirmari nisi id, quod Plinius ipse de similitudine sententiarum et cogitationum, quæ apud Tacitum et eum ipsum illis iam temporibus inveniebantur, in epistolis suis dicit. Plinius enim in epist. IX. 23. §. 2. usque ad §. 5., quem locum Wittichius ipse disputationi suæ præposuit, non præsentiens hac ipsa epistola sententiam suam, quæ imprimis in simili verborum usu et similibus sententiis atque cogitationibus nitatur, refutari, fabulam narrat, qua intellegatur, mirum quantum et „in variis eruditisque sermonibus“ et in studiis Tacitus ipsi similis fuerit. Cum igitur illis temporibus „eques Romanus“ et „vir egregius Fabius Rufinus“ propter sermonum studiorumque similitudinem, quamquam ut Romanus tritas habebat aures, discrimen inter verborum usum, dicendi loquendique modum ac rationem, cupiditatem studiorum Plinio et Tacito communium statuere non potuisset, mirandum non est, quod nostra ætate deperdito iam illo, ut ita dicam, subtiliore bonæ latinitatis sensu viri docti multum inter se discrepant, utrum verborum usus et scribendi loquendique ratio in dialogo Tacito similior sit an Plinio. Neque tamen discrimen, quod inter elocutionem dialogi et scriptorum Plini intercedit,

[1]) In. l. com. p. 287. et inseq.
[2]) Cf. dial. c. 9. et ep. l. II. 11.; dial. c. 7. et ep. l. IX. 23.
[3]) In l. com. p. 48. et inseq.

investigare non possumus. Facile enim quivis concedet, Plini epistolas politiores et maiore cum diligentia conscriptas esse, quam dialogum, qui perfectiorem Ciceronis imitationem præstat, quam epistolæ et ille „Panegyricus". Neque usquam in dialogo invenimus „verba contrarie relata",[1]) quæ Græci ἀντίθετα dicunt, quorum tot exempla in Plini epistolis invenias[2]). Ceterum recolenda nobis sunt, quæ iam supra in refutando illo argumento apud Quintilianum dixi. Nam etiam Plinium Ciceronem æmulatum esse constat. Quid mirum igitur, si in dialogo, cuius scriptorem Ciceronis æmulatorem fuisse supra demonstravi, nonnullæ voces similes inveniantur iis, quæ a Plinio in epistolis usurpatæ sunt?

6. Finienda iam esset disputatio de argumentis, quibus Plinium dialogi scriptorem esse demonstrari putant defensores Plini, nisi pugnator novis armis instructus in arenam prodiisset A. Wittichius, qui cum alia argumenta iam refutata, tum imprimis æqualis cuiusdam scriptoris testimonium sagacissime se indagavisse opinatus est. Sed videamus, quo modo se habeat illud æqualis testimonium. Wittichius putat, verba in epist I. 5., quæ supra commemoravi, ad quendam libellum spectare tempore illo, quo capitale fuit aliquem laudare, præsertim cum Plinius ipse in epist. IV. 24. sese studiis periclitatum esse adfirmet. Sed tantum abest, ut verba: „cui non est cum Cicerone æmulatio" ad ullum librum spectent, ut his verbis mors Ciceronis tam tristis bonis, quam delatoribus iucunda denotetur, quam Antoni crudelitate occubuit. Cum autem id maligne dictum mitigare et quasi vulneri remedium imponere vellet, verba adicit: „et qui contentus est eloquentia sæculi nostri". Atque etiam vis horum verborum multum imminuitur, cum M. Regulus non ad Plinium solum, sed etiam ad Satrium Rufum, qui tunc cum Plinio causam aliquam agebat, loquatur. Dicit enim Plinius in illa epistola: „Ait (M. Regulus) timere se, ne animo meo penitus hæreret, quod in centumvirali iudicio aliquando dixisset, cum responderet mihi et Satrio Rufo: „Satrius Rufus, cui non est cum Cicerone æmulatio, et qui contentus est eloquentia nostræ ætatis." Accedit, quod Plinius, cum in illa epistola dicat: „Respondi nunc me intellegere maligne dictum", tunc „id maligne dictum" non intellexerat. Fierine potuit, ut Plinius illa verba tunc non intellegeret, si libellum, in quo tot Domitiani offensiones reperiri possunt, conscripsisset? Præterea Plinius cum in Pane-

---

[1]) Quæ quidem (cf Cic. de orat 2. 65. 263.) a Cicerone in orat c. 50. §. 166.: „numerus oratorius" adpellata sunt.

[2]) De qua re conferenda sunt, quæ Guttmannus in disputatione libellis inserta, qui inscr.: „Römische Prosaiker übers. v Tafel, Osiander und Schwab", Vol. 51 optime disseruit. Repetita est illa disputatio ex edit. dialogi Orelliana (Tur. 1830.)

gyr. c. 95. se ‚cursu quodam a Domitiano provectum' dicat, ceteroquin semper caveret, ne quo imperatorem lacesseret, sane non ausus est emittere libellum, in quo tot tantæque imperatorum offensæ reperiuntur. An verisimile est Plinium ‚cursu quodam a Domitiano provectum" esse, si sævum illum imperatorem infesto libello lacessivisset? Itaque hoc a Wittichio primo indagatum argumentum nullum esse censeo.

§. 7.

Alia argumenta adduntur, quae Plinium minorem dialogum conscripsisse non posse demonstrent.

Hæc habui de argumentis a viris doctis ad defendendas Plini partes collectis, quæ dicerem; sed restat, ut commemorem alia, quibus luce clarius fiat, Plinium dialogi scriptorem non modo esse non posse, sed re vera non esse.

1. Primum constat, ne mentionem quidem in codicibus fieri Plini nominis. Cum igitur Quintiliano, cuius nomen in uno codice Vindobonensi aliena manu adscriptum est, dialogum abiudicandum esse censuerimus, quia illius codicis auctoritas parva et Quintiliani nomen motis iam quasi dubitationum fluctibus adscriptum est, eo magis Plinio minori dialogum abiudicaudum esse arbitror. Sed exstiterunt alii, qui codicum testimonium prorsus detrectabant, alii, qui alias opiniones protulerunt, quibus demonstrare tentabant, facile fieri potuisse, ut codices ad unum omnes Taciti nomen falso præ se ferrent. Quid illi viri docti existimaverint, quo modo eorum sententiæ refutari possint, paulo infra explicabo.

2. Tum dialogi scriptor sese Aprum et Secundum non modo studiose audivisse, sed domi quoque et in publico assectatum esse in dial. c. 2. dicit, Plinium autem Quintiliannm et Nicetam sacerdotem præceptores habuisse scimus.[1]) Scilicet Wittichius [2]) dicit, Plinium non solum alio tempore alios habere præceptores, sed eodem etiam tempore Quintiliani et Nicetæ discipulum et Apri et Secundi sectatorem esse potuisse. Sed tantum abest, ut notum sit, aliquando quemquam apud Romanos alios viros habuisse præceptores domi et alios in publico esse assectatnm, ut ipsis dialogi verbis hæc sententia prorsus refutetur, cum dialogi scriptor sese Secundum et Aprum non modo domi et in publico mira studiorum cupidi-

---

[1]) Ex. epist. l. II. 14. §. 10.
[2]) In l. com. p. 286.

tate esse assectatum, sed etiam „in iudiciis“ studiose audivisse dicat.[1]) Plinius autem in epist. II. 14. §. 10. eodem verbo usus se „Quintilianum audivisse“ adfirmat. Quæ cum ita sint, ne illa quidem sagacissime ficta opinio quidquam proficit.

3. Restat etiam aliud grave argumentum, quod iam ab Ecksteinio[2]) investigatum est. Curnam, si Plinius tam mira studiorum cupiditate Aprum et Secundum sectatus est, eorum nomina ne uno quidem verbo in epistolis commemoravit, præsertim cum tot illis temporibus haud ignotos viros nominaverit eorumque sermones et „arcana semotæ dictionis“ narraverit? Quæcunque autem Hesseus,[1]) Secundum et Aprum Plini cognatos esse opinatus, Wittichius, cos præclaro illo dialogo satis iam commemoratos esse ratus, adtulerint, hæc res nullo modo refutatur. Itaque ne vitæ condiciones quidem, etiamsi fictæ sint, in Plinium quadrant.

Quibus argumentis rite perpensis neminem effugere potest, quin Plinio dialogus adscribi non possit. Itaque nunc nulla alia quæstio agitur nisi utrum Tacitus dialogi scriptor sit necne, quam rem tot tantisque argumentis a viris doctis diligentissime collectis nemo in dubium vocare potest.

§. 8.

Adscribine possit Tacitò dialogus necne, testimoniis, quæ dicunt externa, diiudicatur.

Cum igitur nobis persuasum sit, neque Quintilianum neque Plinium minorem conscripsisse dialogum, denuo quæstionem instituimus, utrum Tacito adscribi possit dialogus necne. Quam rem ut contendam, primum tetimònia, quæ dicunt externa, deinde argumenta, quæ dicunt interna, ex ipsius libri natura petita enarrabo, sententiis virorum doctorum, quibus mea sententia aut refutari videatur aut adiuvetur, in unaquaque disputationis parte haud neglectis.

De codicum auctoritate.

Quodsi testimonia, quæ dicunt externa, anquirimus, id sane maximum est, quod codices ad unum omnes Taciti nomen præ se ferunt. Ut codex Vaticanus numero 1862. significatus, codex Leydensis num XVIII. sign., codex Farnesianus sive Neapolitanus num. IV. signif.,[4]) codex

---

[1]) In dial c. 2.

[2]) In l. com. p. 51. et. 52.

[3]) In disputatione, quæ inscrib.: „De C. Cæc. Plinio minore dial. de oratt. auctore“, Magdbg a. 1832. edita.

[4]) Qui codex, utrum unus idemque sit, qui codex Neapolitanus a Lipsio conlatus, diu multnmque certatum est. A. Wittichius eos diversos esse dicit auctore Dronckio, qui in libro, qui inscr.: Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, vol. II. fasc. 6. num. 67. demon-

Vaticanus alter num. 1518. signif., codex Ottobonianus num. 1455. signif. codex Vaticanus tertius num. 4698. signif., codex Parisiensis num. 7773. signif ab A. E. Eggero in libro, qui inscr.: Zeitchrift für Alterthumswissenschaft, vol. II. fasc. 4. num. 42. et 43. conlatus, qui codices sæculo XV. scripti videntur, codex Venetus sive Marcianus num. XIV. signif. a Thomasio in indice doctorum virorum a. 1853. p. 11. et inseqq. conlatus, a. 1414. scriptus, qui codices ad unum omnes Taciti Nomen præ se ferunt. Accedunt codex Harleianus num. 2639. signif., cuius in fide sine causa Suetoni propugnatores nitebantur, codex Vaticanus quartus num. 2964. signif., codex Urbinas, qui codices scriptoris nomen omiserunt. Unus tantum isque pessimus codex Vindobonensis Sambuci num 351. signif. a. 1563. alio atramento aliaque manu scriptus Quinctil " nomen adscriptum habet. Sed eius codicis auctoritatem minimam esse iam supra demonstravi.

Quæ quamquam ita sunt, tamen eorum, qui a Tacito dialogum abiudicandum esse censuerunt, alii alias causas investigare sunt conati, quibus fidem codicum esse nullam demonstrarent. Guttmannus enim codicum fidem in suspicionem vocavit dicens, verbis „equitis Romani" in codicibus Taciti nomini additis hanc inscriptionem a recentioribus scribis factam esse plane adfirmari". Cum autem satis constet, vetustissimum quemque codicem illa verba non habere, hanc sententiam comprobandam esse nemo non negabit. Aliter Wittichius, ut Nasti [1]) et Hessei sententias, quorum virorum doctas disputationes frustra desideravi, omittam, causam adgreditur. Dicit enim, academiam, quæ res in oppidis Herculano et Pompeis effossas asservandas curat, volumina reperisse, quibus schedulæ adfixæ sint cum inscriptione librorum, quos contineant Quibus schedulis, cum facile

---

strare conatur, codicem Farnesianum et Neapolitanum diversos esse. Neque quamquam ad diiudicandam de dialogi scriptore controversiam nullius momenti est, utrum hi codices diversi an non diversi habeantur, facere possum, quin de hac re planius exponam. Codex Farnesianus a. 1574. a Lipsio versatus nusquam inveniri potuit. Tum a. 1831. Nibuhri iussu Salvator Cyrillus aliquem codicem Neapoli inventum contulit. Niebuhrius hunc codicem et codicem Farnesianum unum eundemque esse putavit; paulo post C W. Schluttigius codicem, utrum eorum non liquet - contulit et cum Doederlino et Walthero communicavit a. 1833 Quæ cum ita sint, diu multumque disceptatum est, utrum codex Farnesianus Lipsi, Neapolitanus Niebuhri, Neapolitanus Schluttigi unus idemque sit, an codices Lipsi et Niebuhri non diversi, codex Schluttigi autem diversus, an codices illi prorsus diversi sint Sed cum Dronckius l. comm. conatus sit demonstrare, codices a Lipsio et Salv. Cyrillo Niebuhri iussu conlatos diversos esse et Petersenus in eiusdem libri vol. I. num. 100 etiam codices Niebuhri et Schluttigi nihil commune habere contenderit, iam tres illi codices diversi haberi coepti sunt. Cum autem A. Michælis animadveterit, diversas lectiones in editt. Lipsi, J. Beckeri (Niebuhrio auctore), Doederlini et Waltheri (auct. Schluttigio) inventas editoribus, non libris mann scriptis tribuendas esse nemo est, qui dubitet, quin Lipsius, Niebuhrius, C W Schluttigius et J. Schrautius, qui nuper illum codicem versavit, unum eundemque codicem in manibus habuerint.

[1]) In interpretatione dialogi Hal. a. 1787. edita, cui disputationem de dial. scriptore præmisit.

avellerentur, haud raro iterum, sed alieno volumini adfixis fieri potuisse, ut scriptorum nomina commutarentur. Itaque volumini Plini dialogum continenti falso Taciti nomen esse adfixum. Quam sententiam ut adfirmet, Ovidi locum commemorat in trist. l. I. eleg. 1. v. 7.: „nec titulus minio, nec cedro charta notetur". Sed tantum abest, ut hæc explicatio, etiamsi certis argumentis adfirmaretur, quidquam proficiat, ut ea de causa refellenda sit, quod tam parvus libellus, quantulus dialogus est, vix solus uno volumine descriptus est, immo vero cum ceteris Taciti libris minoribus coniunctus. Neque quidquam ille Ovidi locus valet, cum nil nisi id testetur, quod ex volumine schedula minio [1]) aut coccino aliove colore ornata ex inferiore libri parte exstabat. [2]) Accedit etiam, quod hic libellus in libris manuscriptis non cum ceteris Taciti, sed cum aliorum scriptorum libris coniunctus nobis servatus est, quo minus vel fortuitus error vel fraus locum habere potuerit.

Itaque Wittichi sententiam refutandam et hoc primo argumento ex codicibus ipsis petito firmiter insistendum esse censeo. Quo enim contemptis librorum manu scriptorum testimoniis perveniremus in cognoscendo cuiuslibet libri scriptore?

§. 9.

De Plini et Pomponi Sabini testimoniis.

Codicum auctoritas Plini minoris testimonio firmatur, quod se indagavisse Langius gloriatur. Is enim in disputatione, quæ inscribitur: „Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus," [3]) primus in Plini epistolis locum indagavit, quo aperte Taciti dialogum significari verisimillimum est. Plinius enim in epist. l. IX. 10. ad Tacitum hæc verba scripsit: „In via plane nonnulla leviora statimque delenda ea garrulitate, qua sermones in vehiculo serantur, exteudi. His quædam addidi in villa, cum aliud non liberet. Itaque poemata quiescunt, quæ tu inter nemora et lucos commo-

---

[1]) Ut Plinius in hist nat. l. 23. c. 36. narrat.

[2]) Conf., quod V. Loers in libr, qui inscr. P. Ovidi Nasonis trist. l. V., Trever a. 1839. edit. ad l. com. dicit

[3]) Illa disputatio primum in actis sem reg et societ. philol. Lips vol. I. p. 77. et ins. q edita est. Paulo post in editione Dronckiana Confluent. a 1828. Nunc reperitur in Langi script var. ab Jakobo edit. Lips. 1832. p. 2—14. Langi sententiam secuti sunt: Dronckius (l. c.), Osann (in edit. dial. Tac. Giss. 1329.), Goehring (in dissert. de dial. de oratt., qui vulgo Tac. adscr., præstantia, Lubec 1829), Bötticher (in Lexic. Tac. præf. p. VIII.-XIII. Berol. 1830.), Danou (Biographie universelle Vol. XLIV. p. 570.), La Malle (Classical Journal IX n. 17. p. 163. sqq), Lerminier (Etudes d'hist. et de philos. vol. I. p. 185.), alii.

dissime perfici putas". Quæ Plini verba ad verba alicubi a Tacito usurpata spectare sane conicere licet. Et re vera ista verba nusquam nisi in dial. c 9. extr. „Poetis, ut ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est," et c. 12. init: „...nemora vero et luci..." inveniuntur. Itaque Langius ex illis verbis colligi posse existimavit, a Tacito dialogum esse conscriptum. Id gravissimum Plini testimonium virorum doctorum alii aliis causis adlatis nullius momenti esse demonstrare sunt conati.

Primus Gutmannus Catanei sententiam secutus hanc epistolam non ad Tacitum a Plinio, sed a Tacito ad Plinium missam esse contendebat, cum epist. I. 9. responderet. Quam sententiam quamquam et argumentis in epistola ipsa positis et causis, quas dicunt exteriores,[1]) probare conatus est, refellendam esse iam Wittichius[2]) demonstravit, quapropter non habeo, quod contra Gutmami et, qui eum secuti sunt Woltmanni[3]) et Hessei sententiam dicam.[4]) Sed Wittichius quamquam Plinio hanc epistolam adtribuendam esse non negat, testimonium ex illa ad indagaudum dialogi scriptorem petitum nullum esse persuasum habet,[5]) Plinium ad priorem aliquam Taciti epistolam respondentem hæc verba ex illa, non ex ullo eius libro repetiisse ratus. Similiter Eichstadtius[6]) hanc sententiam probavit. Quorum virorum sententiam Haaseus et Steinerus[7]) secuti sunt. Ille enim, ut Steineri verba, cuius doctam disputationem frustra desideravi, omittam, verba „inter nemora et lucos" a Plinio commemorata, cum et ab aliis scriptoribus haud raro usurpentur et a Tacito in epistola Plini epistolæ l. I. sextæ respondente usurpata esse possint, nihil proficere putat.[8])

Sed non desunt, quæ respondeam. Saltem nemo dubitat, quin illis verbis: „Quæ tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas" Taciti verba denotentur. Quærendum igitur est, utrum illa verba ad episto-

---

[1]) In edit. Orell. a. 1830. p. 112. et iuseqq.

[2]) L com. p. 275.

[3]) In interpret opp. Tac. Berol. a. 1181. edit. vol. V. p. 260 et. seq.

[4]) Vide, quæ Gesnerus in edit. epist. Plini Lips. 1739, curata in adnot. ad l. c. dicit.

[5]) Js enim in libr. cit. p. 276. dicit: „Nun gehe man weiter und construire aus dieser Antwort (epist. IX. 10.) des Plinius die Zuschrift des Tacitus, man wird in diese den Satz: „Minervam et Dianam pariter esse colendas" aufzunehmen haben; ebenso gewiss auch den anderen: „Inter nemora et lucos commodissime perfici putas" .....Die Schrift also, die Lange postulirt, ist nichts anderes als jener Brief des Tacitus.

[6]) In quæstt philolog. spec. VI. „dialogus de oratt." Jenæ a. 1839. p. 12.

[7]) In disputat., quæ inscr.: „Der Dialogus de oratoribus", Kreuznach. a. 1863, Iudicium de hac disputatione Schnitzius inseruit in annal. Jahni vol. 94. p. 163.

[8]) In edit. opp. Tac. Lips. a. 1855. Vol. I præf. p. XV. adnotat.

lam a Tacito Plinio missam spectare, an ad librum aliquem, in quo iisdem usus sit Tacitus, pertinere verisimilius sit. Equidem Plinium his verbis ad locum in aliquo Taciti libro spectavisse puto. Nam si ad Taciti epistolam ipsi missam spectaret, pro verbo „putas" aut verbum „ais" aut „scribis" posuisset. Quæ res quamquam altius petita videri potest, tamen illorum verborum usu comprobatur. Quod vero Haaseus contendere conatus est, voces „nemora et lucos" haud raro et a Tacito et ab aliis scriptoribus iungi, nihil refert, quippe cum hac peculiari vi nusquam nisi in dial. c. 9. inveniantur, ubi Aper poetas, quod, „si modo dignum quid elaborare et efficere" velint, in „nemora et lucos" iis recedendum sit, increpat. Sed utut res se habet, id sane quivis concedet, non minus veri similem esse sententiam, Plinium his verbis in Taciti dialogum spectavisse, quam his verbis epistolam Taciti priori epistolæ I. 6. respondentis denotari credibile esse. Itaque Ecksteini sententiam secutus nihil impedire censeo, quominus his verbis dialogi verba significari existimemus.

Accedit Pomponi Sabini testimonium, de cuius fide diu multumque discrepabant inter se viri docti. Pomponius, inlustris grammaticus, qui varie cognominatus, ut Sabinus, Picentinus, Sanseverinus, Lætus nomen habet Julius Pomponius, diu Venetiis vixit et de „antiquitatibus urbis Romæ" scripsit librum et Sallustium, Vergilium, Quintilianum aliosque scriptores Romanos edidit. Mortem obiit a. 1498. Is ad carmen de Mæcenatis obitu hæc adnotavit: „Cornelius Tacitus adpellat scripta Mæcenatis calamistros, [1]) quæ vox in dialogo [2]) tantum invenitur eadem peculiari vi: „Malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Mæcenatis aut tinnitus Gallionis". Quem grammaticum, cum mortem obierit expletis septuaginta ætatis annis, postquam Taciti opera quater iam typis erant expressa, in editione Spirensi a. 1470. Venetiis a. 1484. et 1494., altera Puteolani a. 1497., nihil testari, nisi id, quod in istis editionibus Taciti nomen dialogo esset inscriptum, iam Orellius et Gutmannus [3]) contenderunt, eosque secuti sunt Eichstadtius, Haaseus, Steinerus. Sed tantum abest, ut testimonium eius, quem Lipsius „ignobilem grammaticum" non bene adpellat, prorsus detrectemus, tam inlustri tamque docto viro, ut Ecksteinius optime demonstravit [4]), talem

---

[1]) Nos dicimus: „Kräuseleisen", quæ est acus ferrea, qua capilli crispantur; intus cava calami arundinis instar, unde a Nonio XV. 27. fistula adpellatur. Significat igitur exquisitum cultum ornatumque orationis.

[2]) In medio cap. 26.

[3]) In edit. Orell. a. 1830. p. LXV. et ibid. p. 102.

[4]) In lib. com. p. 63. et 14.

iudicii sanitatem nos tribuere par est, ut certe, nisi liber manu scriptus antiquissimus, quem in commemorando hoc loco in usum vocavit, Tacito dialogum adscripsisset, hanc vocem recentiore tantum editione in commemoratis his verbis usus Tacito non adtribuisset. Itaque etiamsi non cum Gutmanno iisque, qui eum sequuntur, neque cum Ecksteinio, qui Pomponi testimonio nimium tribuere videtur, facio, tamen testimonium illius Pomponi idem, quod antiquissimi codicis valere concedendum censeo.

§. 10.

A Tacito dialogum re vera conscriptum esse argumentis ex ipso libello petitis adfirmatur.

Argumentis in antecedentibus paragraphis, quæ sunt codicum auctoritas, Plini minoris ac Pomponi Sabini testimonia, rite perpensis nemo est, qui Tacito dialogum adscribi posse neget. Sed enumeranda sunt argumenta, quæ et ex tempore, quo scriptus, quo habitus est dialogus, et ex ipsa libelli natura petita sunt.

De tempore, quo Tacitum natum esse versimile est.

Primum quærenduum est, utrum tempus, quo habitus, quo scriptus sit dialogus, in Taciti ætatem quadret necne. Etenim dialogum a. 75. p. Chr. n. habitum et a. 81. p. Chr. n. conscriptum editumque esse supra §. 1. demonstravimus. Sed ut indagemus, quotum annum illo tempore Tacitus egerit, statuendum nobis est, quo anno Tacitum natum esse verisimillimum sit. Nam de hac re ambigitur. Rupertius enim et Boetticherus Tacitum a. 52., Weikertus,[1]) Ritterus, Nipperdeius,[2]) Wittichius a. 54, Kritzius [3]) et Steinerus a. 56., Haaseus a. 58. natum esse contendunt. Quæ cum ita sint, iam vix quidquam certi explorari posse, nobis persuasum est, quamquam coniectando satis prope ad verum accedi potest.

Inter omnes vero constat, Tacitum, ut ipse in annal. XI. c. 11. narrat, „sacerdotio quindecemvirali præditum ac tunc prætorem“ ludis sæcularibus a. 88. p. Chr. n. a Domitiano editis interfuisse, et Tacitum a. 97. consulem fuisse ex Plini epist. II. 1. scimus. Præterea Plinius, quem

---

[1]) In edit. opp. Taciti Lips. a. 1813. curat. Vol. 1.

[2]) In libro, qui inscr.: „Cornelius Tacitus“ erklärt von Nipperdey, 1 Band: Annalen 2. Aufl. Berol. a. 1855. præf. p. 7.

[3]) In edit. Agricolæ Berol. a. 1859. prolegom. p. 10.

a. 61. natum esse supra demonstravimus, in epist. VII. 20. §. 3. se et Tacitum „propemodum æquales“ dicit et in §. 4. adiicit: „Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi tibi longo, sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam“. Tacitus etiam in hist. I. 1. dicit: „Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec iniuria cogniti. Dignitatem a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim“. Quibus locis accuratissime perpensis facile conligere possumus, quo anno Tacitum natum esse veri simillimum sit. Agricola quidem cum a. ætatis 30. iam prætor [1]) et a. ætatis 38. consul [2]) factus esset, liberorum iure usus est, quoniam tribunus designatus duos habuit liberos,[3]) ita ut iusto celerius ad præturam et consulatum accessisse videatur. Plinius autem, qui a. 93. p. Chr. n. a. ætatis 32. gerens [4]) prætor et a. 100. p. Chr. n. a. ætatis 39. „cursu quodam provectus“ [5]) consul [6]) factus est, nobis velut exemplar est, quo ætatis anno imperatorum tempore prætoris munere fungi solebant iuvenes Romani. Ad consulatum autem ipse Plinius nimis mature se accessisse narrat [7]). Itaque etiam Tacitum 32 annos natum præturam gessisse et propterea a. 56. p. Chr. natum esse consentaneum est. Quocum anno et Plini locus optime quadrat,[8]) et ille locus ex historiarum libris commemoratus convenit, modo ne ut Weikertus, Rupertius, Walchius, Nipperdeius, Kritzius, Ritterus faciunt, „dignitatem inchoatam“ quæsturam, „auctam“ tribunatum ‚longius provectam‘ præturam esse statuamus; sed si cum Wittichio et Haaseo faciamus, qui Tacitum a. 79. p. Chr. n. annum 22. agentem decemvirum stlitibus iudicandis [9]) („Dignitas a Vespasiano inchoata“), a. 80. p. Chr. n. iuvenem 24 annorum aliquo sacerdotio vel munere extraordinario functum („Dignitas a Tito aucta“), a. 82. annos 26 natum quæstorem („dignitas a Domitiano longius provecta“), a. 84. p. Chr. n.

---

[1]) Vid. agric. vit c 6. et 44. et adnot. Walchi (Berol. 1828.) adh. l.

[2]) Cf. Agric. vit. c. 9. §. 3.

[3]) Cf. Agric. v. c. 6. §. 3.

[4]) Vid. epist. VI. 20 et III. 11. §. 2., ubi narrat, sese „cum philosophi ab urbe essent summoti“, (quam rem a 93. p. Chr. n. ex Walchi adnot. ad Agric. c. 2. fuisse constat) „prætorem fuisse“

[5]) Cf. Plin. paneg. c 95.

[6]) Ibid. c. 91. et epist. x. 2.

[7]) In epist. X. 2.

[8]) Erat enim re vera interiecto quinquennio „propemodum æqualis“ et nihilominus, cum recentiore ætate discrimen quinque annorum iam multum valeat, eum æmulari potuisse Plinium in aperto est.

[9]) Decemviri ‚stlitibus‘ iudicaudis, vel ut Quintilianus inst. orat. l. I. c. 4. §. 16. et Cicero de legib. III. c. 3. § 6. ‚litibus‘ iudicandis scribendum esse censent, erant præsides quæstionum privatarum, qui creabantur, cum prætor urbanus ad bellum exiret. ut essent pro pætore in iurisdictione exercenda.

annum 28. agentem tribunum plebis, a. 88. p. Chr. annos 32 natum prætorem, a. 97. p. Chr. n. anno ætatis 41. consulem fuisse contendunt. Quodsi Taciti vitam ita enarramus, omnes illi tres loci in eam optime quadrant. Sed si a. 52. Tacitum natum esse concederemus, nimis ætate provectum (36. annos natum) præturam gessisse adparet; si autem Tacitum a. p. Chr. n. 54. natum esse statueremus, aut inter quæsturam et tribunatum,[1]) aut inter tribunatum et præturam [2]) nimium intercederet temporis spatium; a. 58. autem natum sine dubio Plinius „cursu quodam a Domitiano provectus" æmulari non potuisset, nimis exigno ætatis intervallo trium annorum interiecto. Itaque hoc cognitum habeo comprehensumque animo verimillimum esse, Tacitum a. 56. p. Chr. esse natum. Quod ut planius percipiatur et cognoscatur, totius disputationis summam hac tabula oculis propono:

		Anni		
p.	Chr.	n. Taciti	Plini	
a.	56.	1.	—	Tacitus nascitur.
a.	61.	5.	6.	Plinius nascitur.
a.	75.	19.	14.	Tacitus dialogum a Materno, Messala, Apro, Iulio Secundo habitum audit „iuvenis admodum".
a.	78.	22.	17.	Tac. decemvir stlitibus iudicandis a Vespasiano creatus (dignitas inchoata) Agricolæ filiam uxorem ducit. Plinius eum æmulatur.
a.	80.	24.	19.	Tac. aliquo sacerdatio aut munere extraordinario fungitur (dign. a Tito aucta.) Plin in foro dicere coepit ef. epist. V. 8.)
a.	81.	25.	20.	Tac. dialogum conscribit et ad Justum Fabium amicum mittit. Plin. stipendia in Syria facit (ep. III. 11.)
a.	82.	2[illegible].	21.	Tac. prætor fit (dign. a Domitiano longius provecta).
a.	84.	28.	23.	Tac. tribunus plebis creatur.
a.	88.	32.	27.	Tac. prætor factus cum uxore Romam relinquit (v. Agric. c. 46. §. 6.)
a.	93.	37.	32.	Plinius prætor fit (epist. III. 11. et VII. 16.) Philosophi Græci Roma removentur (Agric c. 2.)
a.	97.	41.	36.	Tac. consul Verginium laudat.
a.	100.	44.	39.	Plin consul creatus cum Tac. Marium Priscum defendit (epist. VII. 27. et II. 16 insit.)

§. 11.

Taciti aetas cum tempore, quo habitus, quo scriptus est dialogus, convenit.

1. Quodsi Tacitus a. 56. natus est, fuitne a. 75., quo habitus est dialogus, „iuvenis admodum"? Sane fuit. Nam a. 75. undeviginti annos natus erat, qua ætate plerumque adolescentes Romani præcipueque illis

---

[1]) Wittichius enim statuit, Tacitum a 80. quæstorem (dignitas aucta), a 86. autem tribunum plebis fuisse (dignitas long. provecta).

[2]) Ritterus enim contendere conatur, Tacitum a 79. tribunum plebis (dign. aucta), a. 88. autem prætorem (dignit. long. provecta) fuisse:

temporibus „admodum iuvenes" adpellabantur. Romani enim usque ad 15. ætatis annum, quo in forum deducti virilem togam sumebant, pueri dicebantur, adolescentes autem sumpta iam toga virili usque ad id tempus, quo stipendia facere coeperunt, stipendia facientes iam iuvenes adpellabantur, donec ad publica accederent munera, quorum primum vigintiviratus erat, qui „dignitas inchoata" a Tacito adpellatur. Cum autem certus ætatis annus finem unius cuiusque ætatis non faceret, difficillimum est tempus, quo aut pueri aut adolescentes aut iuvenes aut viri adpellabantur Romani, certis numeris describere. Sed coniectando propius ad verum accedere possumus. Adpellat enim Tacitus ipse in Agric. c. 7. Domitianum ‚admodum iuvenem', cum duodevicesimum annum ageret. Præterea Helvidius Priscus in hist. IV. c. 5. annum circiter undevicesimum gerens ‚iuvenis admodum' dicitur; et Velleius Paterculus II. c. 41. §. 3. Claudium Marcellum, qui annum duodevicesimum gerens mortuus est, ‚admodum iuvenem' mortem occubuisse dicit. Restat autem gravissimum Taciti ipsius testimonium. Cum enim Tacitus in Agric. c. 9. §. 7. anno 78., quo anno Agricolam ei filiam collocavisse constat, sese viginti duos annos natum ‚iuvenem' adpellat, nonne verisimillimum est Tacitum sese a. 75., cum undevicesimum gereret annum, „iuvenem admodum" adpellavisse? Quare vix negari potest, annum 75. multo melius quadrare in Tacitum, tunc revera „invenem admodum" undeviginti annorum, quam in Plinium, tunc quatuordecim annos natum, aut in Quintilianum, tunc 33. annum agentem, qui eo ætatis anno sese vix „invenes admodum" adpellare poterant.

2. Sed non solum tempus, quo dialogus habitus, sed etiam, quo conscriptus est, optime cum Taciti vitæ condicionibus convenit. Cum igitur a. 81., quo dialogum amico missum esse supra demonstravimus, Tacitus ætate iam provectior (agebat enim a. 25.,) aliquo sacerdotio vel munere extraordinario fungeretur, quis in dubium vocabit, quin hoc ipso tempore, quanto minus in fungendo minoris momenti munere occupatus fuerit, tanto magis eloquentiæ et artis rhetoricæ studiis vacare potuerit? Quæ res quamquam optime se habet, tamen non desunt, qui eam impugnare sint conati. Gutmannus enim, acerrimus Taciti adversarius [1]), præter alia hæc dicit: Velocissimus vero provectus esset ad honores contra leges moresque Romanorum, si sexto Vespasiani anno „admodum iuvenis" fuisset et studiorum cupiditate oratores domi et in publico assectatus esset". Sed dignitate a Vespasiano inchoata non quæsturam, sed aliquod extraordinarium munus significari

[1]) In edit. Orell. (a. 1830) p. 103.

supra demonstravi. Si igitur hoc modo rem adgredimur, optime et in ætatem et in vitæ condiciones Taciti ille quadrat annus, quo Tacitum natum esse verisimillimum dixi. Paulo post Gutmannus: „Ciceronem", ait, „prætorem fuisse XLI annos natum". Quæ ætas præturæ capessendæ Ciceronis temporibus usitata erat, non vero recentiore Taciti ætate. Immo vero ut Cicero in re publica, sic Plinius imperatorum tempore tamquam exemplum honores ineundi poni potest. Quid autem de ceteris Gutmanni verbis dicam? Quidnam illa ab eo commemorata inscriptio, qua etiam quadraginta annos natum „iuvenem" adpellari posse contendit, proficit? Sed hæc hactenus. Restat autem, ut Wittichi sententiam refutem. Is enim, cum Tacitum a 54. p. Chr. perperam dicat esse natum et verbis „admodum iuvenis" ætatem ab a. 15. usque ad a. 19. significari recte colligat, Tacitum a. 75. „admodum iuvenem" fuisse negat. Si igitur Wittichium in constituendo tempore, quo Tacitus natus esset, sequeremur, sane a. 75. Tacitus „admodum iuvenis" dici non posset. Neque tamen in Plinium, a. 75. decimum quartum ætatis annum agentem, illud a Wittichio recte constitutum temporis, quo „iuvenis admodum" adpellabatur Romanus, spatium quadrat. Itaque tantum modo si Tacitus a. 56., quod verisimillimum esse supra demonstravi, natus est, tempus, et quo habitus et quo scriptus est dialogus, optime in Tacitum, nullo pacto autem in Plinium aut Quintilianum quadrare in aperto est.

§. 12.

Alia adduntur argumenta ex ipso dialogo petita, quibus dialogum a Tacito conscriptum esse probatur.

Quamquem ex argumentis hucusque adlatis satis adparet, et antiquissimos codices ad unum omnes dialogum Tacito adscribere, et Plinio hunc libellum a Tacito scriptum notum fuisse et tempus habiti ac conscripti dialogi in neminem nisi in Tacitum quadrare, tamen reliquum est, ut duo gravissima argumenta commemorem ex dialogi summa omnibusque sententiis dialogo insitis arcessita. Quæ argumenta cum a Langio et imprimis ab Ecksteinio copiosissime tractata sint, paucis tantum verbis exponam, quippe cum vix quidquam novi adferri possit. Fusius autem in refutanda Wittichi sententia disseram, quæ a nemine adhuc profligata esse mihi videtur.

1) Argumentum ac summam totius libelli a Taciti ingenio haud alienam esse iam Langius optime demonstravit. Tacitus enim et a Plinio in epist. II. 1. in disertissimis illius ætatis viris habetur, ipse in suis libris,

ut in annal. IV. c. 21. et 61. XIII. c. 3. aliisque locis de arte rhetorica perite loquitur. Præterea adscribitur ei a Fulgentio grammatico facetiarum liber. Quodsi eum de materia ab historia tam aliena disputasse existimamus, quis in dubium vocet, ab eo etiam eloquenæ præcepta atque iudicia expectari posse? Neque vero tantum discrimen mihi quidem inter antiquorum et recentiorum oratorum comparationem et historiæ studium intercedere videtur. Immo vero illa comparatio mihi quidem quasi initium historiæ studii esse videtur. Ut enim eloquentia antiquorum optima cum depravata recentioris ætatis eloquentia a Tacito comparata est in dialogo, ita primum in Agricolæ vita integri illius viri mores cum depravatis reliquorum illius ætatis hominum moribus, tum in „Germania" vita moresque Germanorum, gentis incorruptæ, cum corruptissimæ civitatis Romanæ libidinibus et vitiis, postremo in historiarum et annalium libris tota civitas Romana imperatorum tempore cum illa republica comparatur, quæ virtutum omniumque litterarum et artium laude floruerat. Itaque Tacitum a rebus minoris momenti ad contemplandas summi momenti res quasi ascendentem primum de eloquentia, quæ pars tantum vitæ humanae est, tum de unius hominis vita, deinde de magnæ et posthac præpollentis gentis moribus, postremo de totius orbis terrarum statu disputasse intellegimus.

2. Neque vero ullum discrepantis iudicii vestigium de optimo quoque oratore invenimus. Quod ut demonstraret, iam Langius haud paucos adtulit locos, quorum nonnullos eosque gravissimos commemoro. Judicium de Cassio Severo in dial. c. 19, et 26., in annal. I. c. 72 et IV. c. 21., de Cæsaris eloquentia in dial. c. 5. et in annal. IV. c. 35., de Eprio Marcello in dial. c. 5. et in annal. XVI. c. 23., de M. Bruto in dial. c. 25. et in annal. IV. c. 35., de Vipstano Messala in dialogo c. 15. et in hist. IV. c 42, de Pomponio Secundo in dial. c. 13. et annal. XV. c. 34., de Cn. Pompeio in dial. 38. et in annal. III. c. 28. Sed hæc sufficiant, cum præter Langium Ecksteinius de hac re copiosissime disseruerit.

3. Accedit maxima sententiarum, quas in dialogo et ceteris Taciti scriptis invenias, similitudo. Inest enim in dialogo illa severa et acerba vituperatio libidinum et vitiorum, quibus illius ætatis homines erant obruti, inest illud desiderium priscae virtutis ac libertatis, qua amissa etiam eloquentiam in deterius lapsam esse dicit. Quod ut demonstretur, exempla ex Taciti libris congerere mihi eo magis superfluum esse videtur, quo diligentius Ecksteinus exempla illa ad hunc finem collegerat. Sed non deest, qui hanc ipsam tam multis tamque gravibus exemplis confirmatam sententiam refutandam putaverit. Id enim Wittichius conatus est, quamquam in disputationis initio ipse fatetur, Taciti et Apri adversariorum

in dialogo disserentium sententias simillimas esse.[1]) Operae pretium igitur erit eius argutam perlustrare argumentationem.

Primum quidem Apri sententia, „ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque esse dirigenda", qui Eprium Marcellum et Vibrium Crispum tamquam potentiæ et divitiarum ex eloquentia haustarum exempla nobis proponit, sententiam Taciti, qui in annal. XI. c. 6. et 7. causas eloquentiæ „præmiis et pretio foedatae" minus decoras et illum Eprium Marcellum Helvidi Prisci verbis in hist. IV. c. 7. denotatum pecunias et eloquentiam, „ni memoria flagitiorum urgeretur", adepturum fuisse dicit, impugnari optime demonstrat. Quæ cum ita sint, consentameum esse, ait Wittichius, Taciti sententias cum Materni, Messalae, Secundi sententiis, quibus Aper impugnatur, congruere. Sed nihilominus illas ab his multum discrepare Wittichius contendere conatus est.[2]) At non desunt, quæ respondeam. Primum quidem Apri sententiam a Taciti sententiis multum discrepare constat. Quod exemplis demonstrre vix opus est, cum haud quisquam sit, qui id neget.

Cum autem ceterorum, qui colloquuntur, sententiæ variæ et propemodum diversæ sint, quærendum est, in cuius viri sententia suum ipsius iudicium inesse voluerit scriptor. Quod ut investigemus, uniuscuiusque colloquentium orationes pertractare deberemus, nisi orationes illæ a tam multis doctis viris optime iam pertractatæ essent. Itaque paucis tantum meam sententiam exponam. Vipstanus Messala cum id, quod huic libello propositum est, planius explicet, primo aspectu primas agere videtur partes. Is enim utpote orator celeberrimus, vir summæ eruditionis et ingenii præstantissimi[3]), optime corruptæ eloquentiæ causas enarrare potuit. Quas cum in morum depravatione et mala iuventutis eruditione positas esse dicat, vehementissime in suæ ætatis vitia et libidines invehitur, ne vestigia quidem priscæ virtutis tristibus suis temporibus inveniri posse ratus. Quæ Mesalæ sententia tantum abest, ut a Tacito comprobetur, ut eum Materni persona sententiam suam explanare voluisse his ex causis pateat.

---

[1]) In libr. com m. p 271. dicit : „Sehen wir uns nach der Uebereinstimmung des Tacitus mit den Gegnern Aper's um, so scheint diese gross genug.

[2]) L. c. p. 272 : „Wenn aber Maternus, auf dessen Entscheidung doch zuletzt alles ankommt, den Zwiespalt, der bei Messala entschieden und nur verdeckter auch bei Sekundus hervortritt, zu vermitteln sucht, so ist schon dieser Versuch, noch mehr aber die Art, wie es geschieht, durchaus untacitäisch (?)" Et paulo infra : „Denn Selbsttäuschung müssen wir es nennen, wenn Maternus an die Stelle jener schlechten Fürsten einen „sapientissimus et unus" setzt, und wenn er in der Grabesstille umher nur die dem Dichter erwünschte Ruhe erblickt (?) Eine Denkart, deren Entstehen Tacitus so trefflich bezeichnet; „subit quippe etiam ipsius inertiae amor" (Agric. c. 3.)

[3]) Cf dial. c. 1. 16. 23.

Matermus enim cum et de Catone fabula [1]) totius disputationis velut ansa sit, et bis [2]) Messalam ultra cancellos disputationis propositæ egredientem in eius fines coërceat, et Massalam munus susceptum non peregisse, sed inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quædam ostendisse dicat [3]), totam disputationem quasi regit eamque sub dialogi finem oratione sua concludit. Præterea autem cum Maternus in fine orationis suae [4]) dicat: „Nunc quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et quietem, bono sæculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur", quis cum hac sententia optime convenire neget illud a Tacito in Agric. c. 42. dictum: „Posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicæ usum ambitiosa morte inclaruerunt". Cum autem in illis prioribus dialogi verbis ex illa spe „magnæ famæ" etiam „citra obtrectationem" partae iuvenilis ardor et animus vitæ pericula contemnens quasi perluceat, posteriora ex „Agricolæ vita" excerpta verba „obsequium atque modestia" et „abrupta mors „oppressum iam iuvenilem ardorem periculorumque notitiam significant, quoniam „per quindecim annos, grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sævitia Domitiani interciderunt [5])". Itaque Wittichium a vero longissime abesse censeo, si discrepantiam inter Materni et Taciti sententias conlatam esse contendat. Immo vero ex iis, quæ supra explicavi, intellegi potest, sententiam Materni, qui priori ætati laudes maximas tribuendas esse non negans etiam suæ ætati artium et litterarum laude haud orbatæ non obtrectat, a Taciti sententiis non modo non discrepare, sed adeo congruere, ut ne Dominitiani quidem atrocis imperii annis interiectis eam mutaverit. [6]). Neque minus etiam quod Secundus

---

[1]) Cf. dial. c. 3.
[2]) Cf. dial. c. 24. et 27.
[3]) Cf. dial. c. 33.
[4]) Cf. dial. c. 41.
[5]) Cf. Agric. c. 3.
[6]) Qua de re Doederlini, viri clarissimi, verba hoc loco adferre haud ab re fuerit, qui (Rhein. Mus. III. B d. I. H. p. 16.) hæc dicit: „Denn wie Aper, dessen Panegyricus auf den Rednerberuf mit all' seinen kleinlichen Eitelkeiten an manche ähnliche Aeusserung des jüngeren Plinius erinnert, nur für das moderne Rom und die Beredsamkeit seiner Zeit einseitig eingenommen ist; so preist ihm entgegen Messala, wie ein „Cato" das alte Rom auf Kosten der neueren Zeit: bis endlich der Dichter Maternus, welcher bei allem Talent für das praktische Leben, doch in contemplativer Thätigkeit Ruhe und Frieden sucht und findet, auf den welthistorischen Standpunkt tritt und den Zwiespalt vermittelnd und versöhnend zeigt, wie der Verfall der Berdsamkeit als ein nothwendiges Uebel aus dem unschätzbaren Gut eines festen inneren Friedens fliesse; in demselben Sinne, in welchem Tacitus selbst, besonders in den Annalen die Klage gegen die Gegenwart zu mässigen pflegt, am bestimmtesten in der berühmten Stelle: Annal. III. 35.: „Nisi forte rebus

loquitur [1]), Tacito placuisse haud quemquam fugerit. Nam quam similis est ea Secundi modestia, quam verbis in dial. c. 39.: „Parvum et ridiculum fortasse videbitur, quod dicturus sum", significat, illis, quae Tacitus in annal. IV. c. 32. modestissime fatetur dicens: „Pleraque eorum, quæ retuli quæque referam, parva forsitan et levia memoratu videri, non nescius sum, et paulo infra: „Nobis in arto et inglorius labor". Sed hæc hactenus. Nam ea, quæ adtuli, sufficient, ut et dialogi summam ac finem a Taciti ingenio haud alienum et omnes sententias in dialogo ceterisque Taciti scriptis insitas simillimas esse probetur.

§. 13.

Argumenta, quæ antecedentibus repugnare videntur, refutantur.

Argumentis, quæ hucusque adtuli, perspectis vix quisquam dubitare potest, utrum Tacito dialogus adscribi possit necne. Sed restat, ut de scribendi ratione dicam, quam alii dissimilem esse dixerunt, alii id negaverunt. Si quis enim dialogum cum ceteris Taciti scriptis comparat, primo aspectu magnum elocutionis in dialogo et aliis libris adhibitæ discrimen

---

cunctis inest quidam velut orbis, et quemadmodum temporum vices, ita morum versantur; nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis et artium imitanda posteris tulit"

[1]) Utrum verba a cap. 35. usque ad 40. Secundo ascribenda sint ac tum demum Maternum verba facere statuendum sit, an omnia Materni sint, inter se discrepant viri docti. Primum investigaverunt, auctore codice Vaticano num. 1518 significato, qui in c. 35. habet: „Hic desunt sex pagellæ", nonnulla excidisse. Cum autem in c. 42. scriptum sit; „Finierat Maternus", coniecerunt, verba a c. 35. usque ad finem libelli esse Materni. Sed pauca tantum, non „sex pagellas" excidisse existimabant, quod præter finem vituperationis scholarum rhetoricarum et initium orationis Materni, ut putabant, „qui „magnam sicut flammam materia ali et motibus excitari et urendo clarescere" (c. 40.), exemplis ex Græcorum tantum eloquentia arcessitis demonstrat, nihil desideratur. Sed si Messalæ et Materni orationes ita ut illi putant, cohærere statuimus, Maternum sibi non constare quivis concedet, Quam discrepantiam intellegens Strodtbeckius librum conscripsit, qui inscribitur: Ostenditur Materninæ personæ in dial. obviæ vultus ironicus (Heilbronn 1831.) Etiam Ecksteinus (in libro cit. p. 30.), qui stiamtum verba cap. 36.—40., Materno adscribenda esse censet, sensentiarum, quæ in cap. 35.—39. et 40.—41. explicantur, dissimilitudinem animadvertit Quam opinionem refutare vix opus est, cum id optimis argumentis N. Bachius in iudicio opusculi Ecksteini, quod insertum est in Annal. Jachni vol. XV. p. 17., fecerit. Tamen facere non possum, quin ad Bachi argumenta pauca addam. Verba in c. 36.—40. Secundi esse verisimillimum est; nam et Messala in c. 32. utrumque (et Matermum et Secundnm) hortatur, ut loquantur, et oratione illa, quæ inter claram reipublicæ eloquentiam et quietem sub imperatoribus eloquentiæ vix utilem, sed eo iucundiorem fluctuat, „iudex modestus", quem Secundus in c. 5. ipse se adpellat, optime significatur. Itaque verba c. 36. usque ad 40. Secundi et verba in c. 40. med. usque ad finem c. 41. Materni esse adfirmo. Quam ob rem in c. 40. post verba: „Fasees admovebant", altera lacuna statuendu est. Sed haec sufficiant, nam de hac re optime disseruit Ul. Beckerus in disputatione, quam editioni Orellianæ adjunxit. (Invenitur etiam in: Archiw. für Philol. u. Pädag. v. G. Seebode, vol. II f. 1. p. 71. u. ff.

intercedere existimat. Quod discrimen Lipsio [1]) tam magnum esse visum est, ut Tacito prorsus abiudicandum esse censeret hunc libellum. Lipsi sententiam Langius optime refutavit [2]), sed in aliud vitium incidit, Tacitum consulto suum dicendi morem dissimulavisse ratus, cum in dial. c. 1. diceret: „Ita non ingenio, sed recordatione opus est, ut quæ a præstantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi... iisdem nunc numeris iisdemque rationibus persequar servato ordine disputationis". Quam sententiam Eicstadtius optime refutavit. Nam si in orationibus ab illis viris habitis alienum dicendi morem Tacitum secutum esse concederemus, quæri potest, qua de causa in tribus prioribus libelli capitibus, cum nullius viri disputationem sequeretur, suum ipse dicendi morem dissimulaverit. Guttmanus autem haud pauca adfert exempla, quæ latinitatis in deterius labentis vestigia esse dicit, quorum ex numero hæc commemoro: Sæpissime in dialogo vocem „hercule" inveniri, ait, quæ vox vix bis terve in ceteris scriptis occurrat; persæpe duo verba idem significantia sine peculiari vi perperam iungi. Cuius opinionem ut refelleret, Dupreus haud pauca adtulit exempla, quæ demonstrarent, dictionem in dialogo usurpatam non modo non in deterius mutatam esse, sed ne vestigia quidem depravati verborum usus inveniri posse [3]). Quam sententiam secuti nonnulli non solum tantam dissimilitudinem negaverunt, sed elocutionem et in dialogo et in ceteris Taciti scriptis usurpatam quasi geminam esse existimaverunt. Exstiterunt alii, qui non tam magnum discrimen intercedere rati id multis modis explicare sunt conati, aut ipsius Taciti verbis in dial. c. 1. commemoratis, ut Schulzius [4]) et Cromius [5]), aut „tria veluti elementa stili Tacitini" agnoscentes, ut Orellius [6]), historicum, rhetoricum poëticum. Itaque et qui partes Taciti defenderunt, et qui Tacito dialogum abiudicandum esse censuerunt, suam quisque sententiam defendentes permulta collegerunt exempla, ut aut vestigia latinitatis in deterius labentis

---

[1]) Qui in præfatione editionis suæ a. 1573, quam Orellius repetiit (in edit. a 1830. u. LXXI.) dicit: „Stilus valde abnuit, non fallax in hoc genere argumentum, qui in nostro constrictus ubique teres, acutus et severus magis quam lepidus. Hic omnia contra. At mutari in ætate aut argumento potest, inquiunt. Non nego, sed numquam ita, ut abeat prorsus a sese".

[2]) Qui in script. varr. ab Jacobo edit. dicit. „Voluisse autem Tacitum in hoc sermone non suum, sed alienum dicendi morem sequi, ipse statim ab initio disertis verbis præmonet". Adicit verba dial. a me commemorata.

[3]) Vide iniquissimum H. Gutmanni iudicium de Duprei libello, quod in annal. Jahni vol. (Suppl.) XV. p. 139. insertum est.

[4]) In edit. dial. Lips a. 1788.

[5]) In disputat. de legendo dial de oratt. Luneb. a 1790. edit. par. I. et II., quae repetita est in: „Magazin für öffentl. Schulen", Bremen 1790. et 1791. vol. I. p. 35. et inseq. et. vol. II. p. 159. es inseq.

[6]) In edit. a. 1830 praef. p. LXIII.

investigarent, aut dicendi similitudinem in dialogo et in aliis Taciti scriptis demonstrarent. In multis præterea aliis opusculis, quæ enumerare vix operæ pretium est, operose conscriptis diu multumque in utramque partem disputatum est, dum Weinkauffius exstitit, qui summa diligentia et maximo mentis vigore omnia undique arcessita exempla collegit, ut in usu unius euiusque vocis, quantulacunque est, dialogi scriptorem cum Tacito mirum quantum congruere demonstraret. Itaque illius viri studio et cura veterem illam de dialogi scriptore disceptationem ita confectam esse existimo, ut iam nemo, qui tam ingentem verborum ac vocum multitudinem similem esse rite perpendat, in dubium vocaturus sit, adscribine possit Tacito dialogus, an ab eo sit abiudicandus.

Nihilominus sane, quicunque diligentius et dialogum et cetera Taciti scripta perlegerit, discrimen quoddam etiamsi non tantum, quantum Lipsio statuere placuit, inter uberem et quasi florentem" scribendi rationem dialogi et in ceteris Taciti scriptis usurpatum scribendi genus et concisum et animum maturum significans et nonnumquam obscurum intercedere concedet. Quonam modo igitur factum est, ut Tacitus antea usurpatam uberem et quasi florentem dicendi rationem cum conciso et nonnumquam obscuro dicendi genere commutaverit? Equidem hasce huius stili dissimilitudinis causas esse puto.

1. Primum quidem constat, Tacitum dialogo a. 81- conscripto per quindecim annos imperii Dominitiani — regnavit enim ab a. 81. usque ad 96. p. Chr. n. — „grande mortalis ævi spatium, per silentium venisse" [1]) et ineunte a. 97. demum Agricolæ vitam conscripsisse [2]). Nonne verisimillimum est, „voce per sævitiam illius principis perdita" Tacitum uberem et quasi florentem dicendi rationem tot tantisque sceleribus „in animos bonorum summa vi irruentibus" prorsus perdidisse et ex iuvenili ardore, qui spe felicis beatique sæculi priscam libertatem non desiderantis ortus erat, manantem lætum sermonem cum sermone severo et de tot tantisque malis velut indignante commutavisse?

2. Tum considerandum est, quam diversus vilis, ut dicam, dialogi sermo a „potestate, maiestate, numine historiae" [3]:) sit. Quam ineptum esset, si Tacitus aut in dialogo de causis corruptæ eloquentiæ scripto

---

[1]) Verba sunt Tac. in Agric. v. c. 3.

[2]) Illo enim anno „Agricolæ vitam" conscriptam esse colligere licet ex Agric. v. c. 3. „Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi sæculi ortu Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum et libertatem, augeatque cotidie felicitatem temporum Nerva Traianus...".

[3]) Plini[2]) verbis in epist. IX. 27. utor.

